

NICOLAVS VIGELIUS IVRECONSULTVS.



**N**icolaus honestis parentibus natus, & in omni genere uirtutum & literarū educatus est. Is cum prima artium rudimenta in patria perceperisset, se ad uarias academias recepit, atq; artium & linguarum studio ea felicitate incubuit, ut omnibus doctis breui innotesceret. Postea quoq; Le gibus operam dedit, atq; sua diligentia effecit, ut omnium acclamatione Doctoralia insignia sibi compararit. Inerat quoq; Nicolao docendi perspicuitas, atq; rara quædam explicandi synceritas. Itaque ut & præsenti & futuro seculo consulueret, commentariorum Iuris ciuilis aliquot libros conscripsit, atq; eos magna laude Basileæ 1565 ædidit.

pari industria alia quoque ingenij monumenta confecit, atque se talem ostendit, ut procul dubio suis lucubrationibus patriam Germaniam quandoque plurimum sit exornaturus. Id quod multi docti uiiri passim de ipso prædicant. Anon.